

De Eiectionibus Terræ, quibus lapides, terras, cineres & materias alias extra se proijcit.

De Sonitu Terræ vario, & nonnunquam brutorum certo generi proprio.

Quorum omnium illustres & hæctenus latentes causas, meditationes & experientias in lucem proferemus, receptas opiniones detegentes.

### *De Partibus Terreni globi Minoribus.*

Partes huiusmodi minores distinctione duplici primitus quam aptissime comprehendendi videntur. Quædam enim partes seu corpora terræ seu loco suo adnata, coniuncta et per se immobilia sunt, vti Plantæ, Metalla, Lapides et Fossilia cætera: quæ Insensibilia seu Sensus expertia Corpora discretionis ergo etiamnum more recepto appellabimus. Quædam vero suam et liberam circumscriptioem sortita varie & libere loca permutant, nec crasso et sensibili cum Terra vinculo seu cohaesione indigent, & sunt omnis generis Animalia, quæ Sensibilia corpora tantum v'sitate perhibentur.

Cumq; Corporum similium hinc inde deprehendatur copia, & subinde corpora oriantur prioribus seu illis, quæ iam ante sunt vel quandoq; fuerunt similia, vnde Specierum conseruationem pronunciamus: Cum etiam corpora per se singula, vti Animalia, Plantas etc. varia & admirabili substantia, figura, partium v'su & concinnitate, colore, virtute etc. insignita contem-plemur: eaq; sic in lucem prodire & paulatim excrescere & fieri videamus: idcirco illud ipsum hoc loco expresse dabimus & è tenebris proferemus: Qui & vnde Speciem suam & Essentiam adeoq; quæ habent omnia acquirant, conseruent & amittant siue transmutent corpora. Vbi simul ipsa rerum *εσία* seu forma vt vocant substantialis clare patebit & omnino elicietur.

Vnde & hoc manifestum fiet, iam dictas rerum Species annorum prolixa serie, nunc citius nunc tardius, nunc magis nunc minus, sensim immutari, nonnunq; & transformari, tolli, aliasq; substitui. Quæ ipsæ sunt rerum origines & permanentes Ideæ, si quas quæris, & non aliæ.

Corpora vero dicta Insensibilia rursus bipartita occurrunt: sic ut quædam ex intima quasi et vulgo abdita vi sub certa specie fiant, crescant et mutantur, quæ simpliciter seu nude Vegetabilia corpora vocitant: quædam vero speciem certam ex se non acquirunt, sed qualia sunt interim permanent, quæ Inuegetabilia seu Non Vegetabilia corpora dicimus. At Animalia omnia insuper et cum adiectione Vegetabilia sunt.